

**Bryn Mawr College  
Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr  
College**

---

Hermann Sauppe Library

Bryn Mawr College Publications, Special  
Collections, Digitized Books

---

1797

Prolusio de proposito Symposii Platonis: Examini  
in Lyceo Gubenensi a. d. v. Nonas Octobres  
MDCCCLXXXVII

Heinrich Ludwig Hartmann

[Let us know how access to this document benefits you.](#)

Follow this and additional works at: <http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks>



Part of the [Classics Commons](#)

---

**Custom Citation**

Hartmann, Heinrich Ludwig. 1797. *Prolusio De Proposito Symposii Platonis: Examini In Lyceo Gubenensi a. d. v. Nonas Octobres MDCCCLXXXVII habendo*. Pfortenae: Brückner.

This paper is posted at Scholarship, Research, and Creative Work at Bryn Mawr College. <http://repository.brynmawr.edu/digitizedbooks/1>

For more information, please contact [repository@brynmawr.edu](mailto:repository@brynmawr.edu).

PROLVSIO  
DE  
Propofito Symposii  
Platonis

---

Examini

in Lyceo Gubenensi

a. d. v. Nonas Octobres CICICCLXXXVII.

habendo

Praemisse

a

M. Henr. Ludou. Hartmanno

Correctore

---

Pfoertense, ex officina Brückneriana.



Q.      B.      V.

**Q**uanquam Symposium Platonis a viris doctis non sine caussa elaboratissimis eius ac politissimis annumeratur scriptis 1.) & quanquam Plato, quid efficere potuerit, in primis hoc in libello, vel singulis tantum partibus spectatis, ostendisse videtur: tamen simul etiam luculentissime apparet, omnem pulchritudinis sensum, non tantum ampliorem, sed veriorem etiam necessario existere debere, si effici possit, quo potissimum consilio ductus auctor scripserit. Iam vero, quoties haec mecum cogitaui, toties etiam miratus sum, illam rem, quod equidem sciam, interpretibus philosophi non adeo fuisse curae cordique. Nam etsi me non fugit, obiter a nonnullis ea de re actum esse, 2.) tamen disquisitio de primario Platonis consilio vberior diligentiorque adhuc desideratur. Me igitur non temere & sine caussa operam in tali quaestione ponere constituisse, satis opinor, apertum est. Ratio autem, qua versabor in illa disquisitione, erit haec, vt primum docere studeam, *quod consilium Plato conscribendo Sympoſio ſecutus fit*; deinde etiam, re ipsa postulante, ostendam, *qua ratione*, & *quam ob cauſam illud consilium ſuum occultauerit*.

A 2

Quum

1. v. Cl. Meiners. verm. phil. Schr. 3, 60. Cl. Wolf Einl. zu Plat. Symp. p. 36. ext.

2. Sic Diderot. in Dictionn. Encyclopédique v. Composition: „Le Banquet, inquit, qu'on regarde comme une chaîne d' Hymnes à l' Amour, chantés par une troupe de Philosophes, est une des Apologies les plus delicates de Socrate: & Cl. Wolf, qui iam Dideroti verba<sup>39</sup> laudauit, ibidem p. 38, dicit: „dem Anfehn nach hatte Platon bey der Verfertigung seines Symposion keinen geringeren Zweck als den, seinen Lehrer vor dem Verdacht zu schützen, als wenn sein Umgang mit jungen und wohlgebildeten Männern, insbesondere mit Alcibiades noch etwas anders, als die Ausbildung und Verschönerung der Seele zur Absicht hätte.


4

Quum de primario scriptoris alicuius consilio quaeritur, idque claris definitisque verbis ab ipso non declaratum est; solet fere ad maximam libelli partem respici & ex eius argu-  
mento iudicium ferri. Quod quidem quanquam per se repre-  
hendi non potest, & naturae rei conuenientissimum esse videtur,  
tamen tantum abest, vt semper sic ad veritatis cognitionem  
adducamur, vt potius saepe etiam fallamur. Possunt enim va-  
riæ caussæ cogitari, cur hic vel ille scriptor non tantum non di-  
ferte declarauerit consilium, sed etiam de industria texerit. Quae  
quidem omnia, vt per se verissima, & ab argumento huius com-  
mentationis minime aliena, esse videntur, ita etiam in primis  
propterea monui, vt partim intelligeretur, hoc quoque in genere  
externam formam vehementer fallere posse, partim etiam appare-  
ret, qua mente ad hanc quaestione accessisse. — His igitur  
praemonitis, videamus, quae variarum de proposito Symposii senten-  
tiarum, sit praferenda. — Ii veterum & recentiorum, qui cogi-  
tauerint de Platonis consilio in hoc libello, illud in maiore  
scripti parte, quae orationes conuiuarum de Amore continent,  
quaesiuisse videntur, ita, vt statuisse videantur, Platonem ani-  
mi caussa in laudem Amoris scripsisse 3.) Quae quidem senten-  
tia quam facile, lecto Symposio, oriri potuerit, ita clarum est, vt  
illustratione plane non sit opus. Sed quamvis maxima libelli pars  
in laudibus Amoris versetur, & vel sic consilium scriptoris non ob-  
scure significatum videatur, tamen adsunt etiam, quae huic  
sen-

3. Superiora quidem non disertis verbis expressa leguntur in scriptis veterum &  
recentiorum, qui omnino sententiam de proposito nostri libelli non consulto  
declarauerunt, sed tamen colligi posse videntur ex iis, quae statim addam. Ni-  
mirum Macrob. Saturn. I, 1. „cum apud alios, inquit, quibus sunt descripta  
conuiua, tum in illo Platonis symposio non anteriore aliqua de re conuiuarum  
sermo, sed Cupidinis varia & lepida descriptio est. & Meiners verm. ph. Sch. 3,  
60.: „Plato — widmete vielleicht die Schönste unter allen seinen Schriften das  
Gastmahl, der himmlischen Liebesgöttin.

sententiae non adeo faueant. Nam si Platoni animus fuisset, hoc scripto praecipue Amorem laudare & virtutes eius varias celebrare, etiam omnes libelli partes ita comparatae esse debebant, ut vel clare, vel obscure certe, illud consilium significaretur. Sed quis tandem contendat, Platonem in omnibus scripti partibus ita versatum esse, ut tantum, quae consilio illi convenirent, proponeret, & aliena ab eo atque absonta, omitteret? Si enim animo Platonis Amoris laudes praecipue propositae fuerunt, non appareat, quomodo ei in mentem venire potuerit, ea adiicere, quae Alcibiadi inebriato tribuuntur. Sermo enim,<sup>4)</sup> quem hic fingitur habuisse de Socratis ingenio, atque in primis de amore eius in se, ita comparatus est, ut cum anteecedentibus orationibus, maxime iis, quae ante Socratem habitae sunt, plane nihil commune habeat atque adeo ab illis quam maxime abhorreat. At, dixerit quis, haec appendix, quanquam aliena a primario sit consilio, tamen fortasse hac ipsa argumenti diversitate commendatur. Audio. Sed quanquam in conuiuio per se considerato res diuersi argumenti proferri solent, atque adeo oblectationis caufsa proferri debere videntur; quanquam ipsum Xenophontem in suo Symposio illam legem clarissime appetet sectum esse; tamen Plato in vniuersum non tam diuersitate, quam varietate argumenti delectare voluit, & omnino ingenium Platonici Symposii prorsus differt ab eo, quod in Xenophonteo conspicuum est. Nam si Xenophon repertur, tantum id spectasse, ut argumentum conuiuio conueniret; Plato, illo non neglecto, simul etiam argumentum ita legit, ut insuper grauior etiam finis teneri posset. Quae quidem verba, ut e sequentibus lucem suam accipient, ita nunc, iis relictis, statim ad aliud accedam, quod sententiae illi aduersari videtur. Nimirum Plato ipse obscu-

4. Legitur inde a c. 32.



re significasse videtur, sibi non potissimum hoc propositum fuisse, vt Amoris laudes celebraret. Iubet enim Socratem, cui, vt reliquis conuiuis, oratio tantum in honorem Amoris ex composito 5.) erat habenda, mox orationem ita vertere, 6.) vt non amplius Amoris, daemonis, 7.) natura atque virtutes describantur, sed potius de amore, appetitu, sermo instituatur. Quae quidem orationis conuersio attentionem omnium maximam mereri videtur, si quis velit Platonis consilium inuestigare. Nam vt omnino Socrati in dialogis Platonis aliorumque Socraticorum partes tribui solent principes, ita etiam oratio eius in hoc Symposium tanta insignis est grauitate, vt quaevis, etiam leuior res, atque adeo haec quoque conuersio orationis diligenter notanda atque ponderanda sit. Si autem quis dixerit, in scriptoribus, etiam diligenter, tamen interdum similes conuersiones, negligentiae fortasse cuidam tribuendas, factas reperiri, is, vt mihi quidem videatur, nunc certe egregie fallitur. Nam primum, quo minus Plato negligenter agere hoc in loco posset, impedibat quaestio, quam ipse Socratem iubet Diotimae, Mantineensi illi, proponere; 8.) deinde etiam ex ultimis Socratis verbis 9.) apparet, Platonem non per incogitantiam conuersionem illam fecisse, immo reuera

5. c. 5, 5. l.

6. inde a c. 24, 2;

7. 23, 1.

8. v. 24, 1. Socrates ad Diotimam: „Τίνα χρείαν ἔχει (οὐ Εἶως) τοῖς αὐθεόποιοις;“ Tum Diotima: „Τέτο δή μετὰ ταῦτα. Iam quum Diotima nunc quaestione Socratis rationem non habere velit, sed, ea relicta, ad alia transeat: negligentia locum habere non potest. — De Diotima v. commentatio Cl. Fr. Schlegel über die Diotima. Berl. Monatschr. Iul. 1795.


9. cap. 29, 8. ext; Socrates de sua oratione ita dicit: „Τέτοιον ἐγ τὸν λόγον, ὃ Φαιῶμε, εἰ μὲν βέλτιον, ἀς ἐγκάμμιον εἰς Εἶστε γέμισσον πεζοῦδαιον εἰ δί (καὶ), ὅτι καὶ ὅπη χαίρεις συνημάξων, τέτοιον ὄνομαζε.

reuera sensisse, ultimam orationis Socratis partem obstare posse, quo minus omnino, conuersione illa facta, in laudem Amoris dixisse videretur. Quum igitur Plato ne sex priores quidem orationes Cupidinis dederit laudibus, atque adeo, quod quidem gravissimum est, Socratem, personam principem, eas relinquere iusserit: sententia illa de proposito Symposii non facile admitti potest. — Hae igitur sunt rationes, propter quas negauerim, Platonem hoc maxime consilio scripsisse, ut Amoris virtutes & facta celebrarentur. —

Transgrediamur nunc ad aliam de primario Platonis consilio sententiam, nimirum hanc: *auctorem nostrum voluisse hoc libello vanas istas de Socratis in Alcibiadem amore opiniones impugnare atque adeo docere, amorem illum non fuisse turpem & illicitum, sed honestum atque legibus conuenientem.* 11.) Et primum quidem ostendam, tali Socratis defensione reuera opus fuisse, & deinde etiam rationes adiungam, quibus effici possit, Symposium nostrum hanc ipsam ob caussam ab auctore esse compositum. — Quod ad primum attinet, scio quidem, multos eiusmodi demonstrationem non desideraturos esse, 12.) sed quum partim, necessitate defensionis ostensa, clarus fiat, cur Plato Socratem de amore illo defendere conatus sit, partim etiam reuera fuerint, qui negarent,

11. Leges non tantum illico amori aduersatas esse, sed etiam honestum praecipisse, notissimum est. Leges de amore non tantum apud Athenenses, sed etiam apud Cretenses, Lacedaemonios, Elidis incolas, Boeotos, in primisque Thebanos, fuerunt. v. Plat. Symp. 9, 8. cf. Potter. Arch. 1, 352. ff. 1, 430. 1, 419. Cl. Meiners über d. Männerl. d. Griech. 1, 78. f. & Cl Bergsträser. Biogr. des Corn. N. Alcib. 2, not. 8.

12. Quia multis ea de re persuasissimum est. cf. Cl. Wolf Einl. p. 38.



rent, 13.) Socratem, adhuc viuum, propter illicitum in adolescentes amorem male audiuisse, nunc non alienum erit, docere, defensionem illam fuisse necessariam. Nimirum primum est notissimum, Socratem, more Graecorum, plurium adolescentium, 14.) in primis tamen Alcibiadis, 15.) fuisse amatorem; deinde, eum etiam in suspicionem vetiti amoris incidisse, non obscure significari videtur in Xenophontis dictorum factorumque Socratis commentariis. 16.) Et si vel loci Xenophontis aliter, ac dixi, explacentur, tamen res manet salua, quam caussa silentii tum in ipsa cri-

13. V. c. Cl. Bergsträser I. 1. p. 123. „dem Socrates, der doch seine grosse Feinde hatte, ward bey seinem Leben nicht der geringste Vorwurf der Unanständigkeit deswegen (der Liebe wegen) gemacht.“ Vnde haec petita sint, non quidem certo dicere possum, sed paulo inferius not. 16. occasio erit, conjecturam certe de fonte corum proferendi.

14. Vid. Plat. Symp. 37, 5., vbi *Charmides*, *Glauconis filius*, & *Euthydemus*, *Diodicis*, multique alii commemorantur.

15. Quod patet e Symp. 33. s. cf. Corn. N. Alc. 2, qui Platonis locum laud. ante oculos habuit.


16. V. c. Mem. 1, 2, 1., vbi Xenophon altero accusationis capite, *Σωκράτης νέας διεφθείγετο* posito, statim apologiam Socratis ita incipit, vt eum dicat fuisse *ἀφεδοτῶν ἐγκεριστῶν*. Quae quidem verba omnino ad amorem inhonestum videntur esse referenda, ita vt etiam amor in adolescentes turpis simul comprehendatur. Deinde I. 1. c. 3, §. 14. postquam Xenoph. dixit, Socratem familiaribus suis id Veneris genus permisisse, quod animus, nisi corpus posceret, non appeteret, atque, si corpus postularet, non adeo respueret; etiam adiicit haec: Socratem facilius abstinuisse a pulcherrimis & formosissimis, quam alias a turpissimis & maxime deformibus. Quo in loco si etiam priora cum Zeunio de Venere cum mulieribus turpibus accipiuntur, tamen posteriora videntur esse accipienda ita, vt vel abstinentia eius a mulieribus & adolescentibus simul, vel quod magis placet, neglegatio externae iuuenient pulchritudinis intelligatur, atque adeo sic illiciti amoris crimen a Socrate depellatur. Hi loqui sufficient iis, qui cogitauerint, ipsam criminis turpitudinem impedire potuisse, quo minus Xenoph. clarius & vberius de omni re exponeret. Caeterum hi loci laudati a Bergsträsero fortasse tantum de amore in mulieres accepti sunt; quo facile intelligi potest, qui factum sit, vt ea, quae not. 13. attuli, scriberet. sumto

❧

criminis ignominia sita videri poscit, quumque, historia accusacionis Socratis considerata, probabile sit, accusatores eius aliosque inimicos etiam hoc crimen, quod minime remotum erat, existimationem salutemque eius perdere studuisse. Sic igitur intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut Plato in animum induceret, indolem amoris Socratis de industria diligentius describere. — Hoc autem intellecto, plus etiam rationes efficient, quas nunc proferam, & quae, mea quidem sententia, adeo sunt graues, ut vel parum vel nihil dubitationis relinquatur. Et primum quidem arridet sententia illa propterea, quod, si sumseris, Platonem voluisse nihil magis, quam amorem Socratis innocentem honestumque fistere, simul etiam aptissimus omnium libelli partium appareret nexus. Nam quum illae sex priores orationes de *Amore*, eiusque virtutibus & factis agant, commodissime iis annexi poterat Alcibiadis oratio, quae in primis de *amore* agit, quo Socrates ipsum complexus sit. Plato igitur in priori libri parte hanc potissimum ob caussam in Amoris laudem dici iussisse videtur, ut transitus ad ea, quae primariam orationis Alcibiadis partem constituerent, eo commodius fieri posset. Porro quum ex arguento primorum sex orationum clarissime pateat, non quamlibet earum, et si omnes de *Amore* agunt, satis apte Alcibiadis orationi praemitti potuisse: vel ordo illarum hic, ut Socrati ultima tribuantur, docet, Platonem ipsum curasse, ut encomiorum Amoris & orationis Alcibiadis nexus a lectoribus sentiretur magis & intelligeretur. Oratio enim Socratis, quum non tantum in honorem Amoris dicta sit, sed etiam, & quidem in posteriore, Alcibiadisque orationi propiore parte, 17.) ostendat, quomodo honestus amor comparatus esse, atque se exaltare debeat, ita cum iis,

B

quae



quae Alcibiades 18.) profert, cohaerere reperitur, vt praecepta cum exemplis. Nam quae Socrates, Diotima praeunte, de amore honesto, eiusque indole dicit, ea Socratis ipsius amandi modo, tanquam exemplo, ab Alcibiade illustrari videntur. Quae ex Socratis oratione huc maxime pertinent, huius fere sunt sensus: „is, qui recte, sapientium modo, amat, non adeo cum foemini rem habere cupit, 19.) sed semina sapientiae virtutisque spargere studet, 20.) & quidem, si fieri potest, in pulchris formosisque, 21.) sed hos tamen eo maiori complectitur amore, si simul animus pulcher, nobilis, & generosus contigerit; 22.) si autem inter virtutem animi, corporisque pulchritudinem legendum est, huic illam praeferat, quum hoc sibi propositum sit, vt meliores reddat iuuenes. 23.) Alcibiades autem de sua Socratisque consuetudine & amore ita loquitur, vt partim vim efficaciamque praceptorum admonitionumque eius commemoret, 24.) partim doceat, eum se non propter externam corporis formam, 25.) neque etiam propter alia bona externa sectatum esse, 26.) contra autem amorem inhonestum repudiasse, 27.) & tantum id curasse,

18. Cap. 33. f.

19. Cap. 27, 3. cf. §. 7 init.

20. Cap. 27, 3. ext. & 4. init. cf. §. 5. ext.

21. Cap. 27, 5.

22. Cap. 27, 5.

23. Cap. 28, 3. Caeterum conferri potest Xen. Symp. 8.

24. Cap. 32.

25. Vid 33, 3. &c.

26. Vid. 33, 3. cf. 35, 2.

27. Cap. 34. inde a §. 4. — fin.

rasse, vt sapientiae virtutisque viam monstraret. 28.) — Quum igitur, vt quisque videt, nexus vtriusque orationis tam arctus sit, adeo, vt, eo intellecto, omne libri argumentum cohaerere videamus; quumque facile perspiciatur, cur hoc ordine positae legantur: etiam simul apparet, Platoni consilium dictum adscribi debere, quum, eo non sumto, omnis orationum priorum & ultimae nexus perire reperiatur. — Videamus nunc, quae praeter nexus orationum illarum duarum reperiri possint, quibus & ipsis sententia de proposito Symposii lata stabiliatur & defendatur. — Quum haud dubie tali in quaestione omnis argumentationis vis ab libri vel partium eius interna pendeat natura; etiam sequentes rationes ab interna Socratis Alcibiadisque orationum indeole repetentur. — Et primum quidem quod ad Socratis orationem attinet, multa sunt, quae doceant, Platonem ei vim longe maximam tribuere voluisse. Quod vt de omni valet oratione, ita etiam de singulis eius partibus dici potest. Nam omnis oratio aperte eo fit grauior, quod Socrates non suum ipsius ingenium sequi, sed Diotimae, foeminae Mantineensis 29.) cuiusdam quae nomine *γυναικὸς μαρτινῆς* 30.), & *σοφητάτης* 31.) ornatur, sententiam proferre

## B 2

28. Cap. 32, 2-9.

29. Vid. 29, 5.

30. Vid. 22, 1. Sic enim legi debet, non *Μαρτινῆς*. Haec enim Stephani conjectura locum habere posset, si Platoni animus esset, vitam eius scribere, sed quum ex omnibus pateat, auctorem plane aliud egisse voluisseque efficere, vt Diotimae dignitas longe maxima, (nam paulo post dicitur *Ἄθηναῖος — τὸν τόπον*) & sapientia eius tanta cogitaretur, vt vel ipse Socrates ad Diotimam tironis tantum speciem haberet (v. 25, 2. cf. 27, 1. 28, 1.); non sufficiebat, eam appellasse *σοφὴν*, sed necessarium erat, vt statim ab initio talis opinio de ea, nomine *μαρτινῆ* excitaretur. Patriae autem eius, quae nostro in loco sine omni vi commeinoraretur, alio loco obiter tantum fieri poterat mentio; quod etiam factum est 29, 5.

31. Vid. 27, 1.

proferre singitur. Sic enim Plato huic orationi plus grauitatis, quam omnibus superioribus tribuere, atque maiorem veritatis speciem conciliare voluit. Si enim Socrates in aliis Socratis dialogis per se iam principem sustinet personam, multo maiorem partes eius nanciscuntur vim, sententia *μαρτινή* tributa. Quod si verum est, si Plato iam sic omnia, quae Socratis oratio continet, certissima & grauissima reddere voluit: hoc consilium auctori multo magis tribuendum erit, si locos in oratione inuenerimus, vbi animus Diotimae, per se iam non sedatus, commotior etiam sistitur, & oratio sublimius procedit. Talis autem locus in primis est is, qui in media oratione legitur, & vbi Diotima dicitur dixisse, vt *τίλειος σοφίσας* 32, Haec enim verba non tantum ad

15

32. Cap. 27, 1. Variae sunt de hoc loco sententiae, de quibus ut disputetur, vel ea, quae in commentatione leguntur, postulant. Cl. Wolf. intelligit verba de Sophistis, ingenium sapientiamque ostentantibus, & putat, Diotimam conferri cum iis nunc maxime propterea, quod, omnibus quaestzionibus omisis, una serie & confidenter, more Sophistarum, dicat. Hunc sequuntur Ill. Stollberg., auserl. Gespr. p. 250., qui vertit: „Und sie, nach Art vollkommen Sophisten: & Cl. Morgenstern, qui in: über Stollb. Ueberl. a. G. fere eodem modo reddit: „Darauf antwortete sie nach Art vollkommen Sophisten. Hic vir doctus tamen haec verba tantum ad proxime sequentia: „εἰ τὸτε referri vult, quia his verbis, summae confidentiae indicis, Sophistae isti soliti fuerint vti. Sed nulla harum sententiarum satis placet, adeo, ut (Cl. Niethammeri, qui a Cl. Bast. i. krit. Vers. üb. d. Text d. plat. Gastm. Vorr. p. 26. auctor dicitur) versio (i. neu. Thalia. 1792.) magis ad verum accedere videatur: „Darauf antwortete sie im Geiste einer Eingeweihten. Rationes meae sunt haec: Primum non necessarium est, ut *σοφίσας* malo sensu accipiatur, quum proprio idem sit, quod *σοφός* sapiens, (vt Xen. Cyrop. 3, 1, 8. cf. ibid. 6, 1, 21. vbi omnino est *doctoſ*) quumque hoc verbum, ut illud, malo sensu adhibeat (vid. Xen. Symp. 4, 63. Aesch. 2, 16. 3, 6.), neque tamen quis contendat, potestatem eius semper hanc esse. Nimirum diuersa vtriusque verbi significatio pendet, ut in multis, etiam aliarum linguarum verbis, a voce loquentis, quae in scriptis ex oratione contexta coniicienda est. Iam si nunc consilium Platonis, & reliquam orationem spectauerimus, intelligitur, *σοφίσας* ne posse quidem h. l. malo sensu accipi. Nam quanquam Plato Sophistas lubenter

et hæc sunt referenda, sed ad omnem locum, qui sequitur, cuiusque grauitas eo ipso crescit. Iam sensu loci illius, quem Diotima commotiore eloquitur animo, diligentius considerato, intelligitur, eum continere illustrationem accuratiorem eorum, quae in antecedentibus de immortalitatis studio, tanquam amoris caussa, dicta sunt. Hac autem vberiori illustratione modus potissimum declaratur, quo quisque amantium in societatem immortalitatis venire studeat, doceturque, alios liberis procreandis, alios sapientia docenda virtuteque excitanda, immortales fieri cupere. Iam **vt ex breuitate**, qua de priori amoris genere agitur, clarissimum est, hoc genus tantum propterea commemoratum esse, **vt nihil**, quod ad amorem pertineret, omitteretur; sic etiam ex vbertate, qua nobilior ille amor describitur, luculentissime apparet, Platonem voluisse efficere, **vt** lectorum animi pondus huius loci quam maxime sentirent. Iam vero hic ipse locus, qui naturam nobilioris

## B 3

amoris

ter notat, & irridet, id tamen loco magis inepto vix fieri potuerit, quum & sic Diotimae dignitati, quae tamen per omnem locum summa fistitar; necessario detrahatur, & verba eius in loco seq. quae ex consilio Platonis grauissima esse debeant, omnem vim suam amittant. Iam quum omnem rem ita mihi cogitem, sane non intelligo, quomodo Ill. Stollberg. in not. ad h. I. scribere potuerit:, Der Zuversicht, mit welcher öffentliche Lehrer (schon) damals ihre Behauptungen vortrugen, spottet Socrates hier im Vorbeigehen, nicht der wahrhaftig weisen Diotima. Nam si Diotima confertur cum sophistis ostentantibus se; id ei non potest honori esse. — Has igitur ob causas σοφιστῶν intelligo omnino de sapientibus, etiam propterea, quod valde dubito, an vlo in loco σοφιστῶν malo sensu, dicantur τίλειοι. Hoc enim epitheton vt vanitatem istorum minime accommodatum est, ita non parum sapit mysteria, τελετὰς, quae τίλειοι, perfectos h. c. sapientes & puros, reddere credebantur (v. Fischerrus, venerandus senex, cuius sapientia me duxit, & paternus amor iuuit, ad Plat. Phaedon. 4, 13, 49. & Cl. Meiners üb. d. Myster. in verm. S. T. III, p. 292.) ita, vt significentur mysteriis initiati & quidem ad summum sapientiae gradum evecti. Qui quidem verborum sensus commendatur etiam conuenientia cum omni huius orationis ingenio (v. 22, 2., vbi D. παρτικὴ ἐπειπτικὴ appellatur, & 28, 1. vbi τὰ τίλεια καὶ ἐπειπτικὰ commemorantur) adeo, vt persona, quae Diotimae imposita est, aptissime conueniat.



amoris tam copiose declarat, est idem ille, in quo, ut supra dixi, nexus Socratis Alcibiadisque orationum praecipue quaerendus est, quique nunc eo magis consilii Platonis index haberi potest, quum ad nexum illum arctum accedat etiam aucta dictionis gravitas, ab Diotimae commotione animi pendens, quam Plato, vel in minutissimis rebus diligens, vix sine caussa fingere potuerit. — Ut autem partim omni Socratis orationi, auctore eius Diotima facta, summa tribuitur dignitas, partim loco eius de honestiore illo amore agenti, euidentissima consilii Platonis indicia inesse periuntur: ita quoque Alcibiadis oratio varia habet, quibus non tantum totius argumenti vis augeri, sed etiam singulae orationis partes praeualere videri possint. — Omnis eius oratio iam eo attentionem excitat, quod inebriatus fingitur dixisse. Nimirum Plato hanc ebrietatem etiam 34.) propterea finxit, ut omnia maiorem veritatis speciem acciperent. Nam & per se iam intelligitur, inebriati non esse, aliter loqui, aliter sentire, & Plato ipse etiam non obscure significauit, se, ebrietate facta, orationi fidem facere voluisse. 35.) Quae quidem eius voluntas, orationem Alcibiadis ut fide dignissimam exhibendi, magis etiam elucet ex iis, quae Alcibiadem orationi praemittere iubet. 36.) Tum quam curam in persua-

33. Sic, ut not. 32. dixi, Cl. Morgenstern statuit, putatque, his verbis notari morem Sophistarum, confidenter & cum ostentatione ordiendi. At primum h. l. non potest, ob rationes n. 32. allatas, de Sophistis sermo esse; deinde quanquam intelligo, εἰδοῖς, voce loquentis adiuuante, ostentatorum esse posse, tamen omnino est eorum, qui cum certa animi persuasione dicunt; denique si verba τέλειοι σοφίαν tantum referenda essent ad εἰδοῖς: sane illud Horatianum in hunc locum caderet: „parturiunt montes (τέλειοι σοφία), nascitur ridiculus mus (εἰδοῖς).”

34. Ebrietas tribui videtur etiam propterea, ut nonnulla enunciari possent, quae homini sobrio, atque verecundo non commode tribui potuissent. v. c., cap. 34.

35. Vid. 33, 10.

36. Vid. 31, 7.

persuadendo de veritate omnis orationis posuit, eandem etiam adhibitam videmus hoc consilio, ut singularum partium, quas grauissimas sistere vellet, augeretur vis & efficacia. Huc pertinet, quod nemo negauerit, pars ea, quod de Socratis amore agit. 37.) Huius autem partis ut praeparatio diligens est, 38.) indo.

37. Vid. 33, 34.

38. 33, 1 — 3. Hic praeterire non possum locum §. 2. „*καὶ τὸν αὐγοῦ πάντα, καὶ*  
*τὸν οἶστρον*, qui quidem locus nondum videtur recte intellectus & explicatus esse.  
 In editione Wolfii ante haec verba plene interpungitur, & verba ipsa in not.  
 eo referuntur, quod Socrates, in primis cum Sophistis disputans, non raro  
 simulauerit, sc̄ nihil scire. Stollberg. eandem interpunctionem secutus, am-  
 bigue: „Ferner ist er keines Dinges kundig, und weiß nichts, wie auch *aus*  
 seiner Silenengestalt zu erhellen scheint. — Sed quomodo tandem hae duae  
 plane diuersae res ab Alcibiade coniungi poterant: „*amore pulchrorum hominum*  
*captus tenetur* (haec enim precedunt, & omni loco de amore Soc. sermo est)  
 & „*omnia ignorat, nihil scit*, eo sensu, quo Wolf. ea accipere dixi? Ultima  
 verba nullo modo possunt vniuerse accipi de Socratis more inseitiam simulandi,  
 praesertim quum sic intellecta, plane aliena sint a consilio Alcibiadis, & quum neque quid  
 neque etiam sequatur, quod possit interpretationem illam iuuare, aut com-  
 mendare. Repudiata igitur illa explicarione, arbitror, haec verba arctius cum  
 antecedentibus coniungenda esse & commate tantum ab iis distinguenda, ita  
 ut etiam ad amorem Socratis referenda sint. Ita sensus loci erit hic: *amore*  
*in pulchros fertur, semper circa eos versatur, & deperit, & rursus tamen* (scil. si  
*cum amore captum putaueris, adierisque animo amantis) omnium* (quae praे-  
 se tulerat, i. e. amoris, quo teneri videbatur) *ignarus est, & nihil scit* (i. e.  
 dissimulat amorem & quidem temperantiae studio cf. §. 2. ext.) , adeo, *et*  
*magnam cum illis simulacrorum deorum receptaculis, Silenorum formam habentibus,*  
*similitudinem habet*. Ut enim receptaculis illis Sileni expressi sunt ab amore  
 non alieni, sic etiam Socratis externa forma amori deditum significat; & ut  
 receptacula illa continent imagines deorum pulcherrimas, ita etiam externa  
 Socratis forma tegit diuinam temperantiam. Verba igitur *καὶ αὐγοῦ — οἶστρον*  
 sunt ex mea interpretatione vitae communis formula, a dialogis minime aliena;  
 fere ut apud nos: dann will er von allem nichts wissen, dann ist ihm alles  
 fremd. Si sic locum cogitauerimus, neque tautologia vtriusque incisi offendet,  
 neque *τὸν πάντα* nimis vrgendum videbitur. Caeterum nisi explicatio illa iam  
 commendetur & facilitate & conuenientia cum omni §. 2.: etiam adiuvari po-  
 test iis, quae Alcibiades inde a §. 4. c. 33. de Socratis in se amore narrat;  
 quae



indolemque amoris Socratis in vniuersum breuiter quidem, sed satis tamen describit, ita historia Alcibiadis Socratisque amoris tam copiose, & tanta cum vi est narrata, vt, nisi caecutire placeat, concedere cogamur, hanc partem fere omnium principem, interpretemque consilii Platonis haberi debere. Sed vt tamen modum non excedere videar, locos excitabo, quibus ante dicta confirmantur. Nimirum non longe ab initio, 39.) se graue quid dicturum esse, ostendit ita, vt confirmet, se verum dicere oportere; vt omnes attendere, Socratemque mendacii se conuincere iubeat. Similiter paulo inferius 40.) ambages, quibus vtitur, quam maxime facere possunt ad incitandam attentionem, quae iam antea excitata erat. Mihi quidem persuauissimum est, eiusmodi excitationes & incitationes non sine consilio atque ratione infertas esse, praesertim quum intellectuisse mihi videar, in hoc libello ne minimam quidem partem otiosam, & temere positam esse. — Porro etiam indignatiacula Alcibiadis animaduertenda est, quae passim exprimitur. 41.) Cogi enim videtur etiam inuitus in laudem Socratis dicere, vt sic quoque veracitas eius fidem inueniat, virtusque Socratis eo magis splendeat. — Praeterea etiam magna vis in eo est, quod Alcibiades non simpliciter narrat, quae noctu inter se & Socratem acta sint, sed sermones ipsos, quos inuicem

con-

quae quidem amorem Socratis ita depingunt singulatim, vt in tribus prioribus §§. c. 33. vniuerse descriptus legitur. Nam vt Socrates §. 2. dicitur amore quidem pulchrorum captus teneri, sed eum dissimulare (*αγροῦ*): ita eadem inueniuntur in parte ea, quae de amore Socratis in ipsum Alcibiadem agit. cf. 33. 4., vbi Socrates dicitur illum sectatus esse, & c. 34. 4. ss. ex quo loco patet, eum dissimulauisse amorem.

39. Vid. 33, 5.

40. Vid. 33, 10.

41. Vid. 33, 10. ext. 34, 3.

contulerint, exhibet. 42.) Haec dialogi forma scite est lecta, quum sic omnis res, ipsarum personarum verbis auditis, videatur verissima atque certissima. — Denique praeter dicendi libertatem & vim, quae in ipsa narratione de amore Socratis regnat, etiam ex aliis partis ultimae locis colligi potest, illam amoris Socratis descriptionem esse caput primarium. Loci, qui animo obuersantur, sunt non tantum ii, qui iocosas contentiones inter Socratem & Alcibiadem zelotypiamque eorum continent, 43.) sed etiam is, qui ultima Alcibiadis verba continet. 44.) Nam illae contentiones partim efficiunt, 45.) ut statim post aduentum Alcibiadis, amor ipsius erga Socratem cogitetur, partim etiam, ut memoria eius usque ad finem conseruetur. 46.) Et hanc posteriorem ob causam Plato etiam Alcibiadem, opinor, ea adiicere iussit, quae orationem finiunt. 47.) Nam quanquam varias de Socrate commemorauerat res, tamen in fine nullam aliam rem in memoriam reuocat, nisi amorem eius. Qui quidem locus admodum est memorabilis, quum eo ipso occasio suppeditetur plura in eandem sententiam adiiciendi. 48.) Hae igitur rationes me impellunt, ut non tantum omnem Alcibiadis orationem appendicem esse grauissimam, sed etiam mihi persuasum habeam, ex particula eius de Socratis amandi ratione, propositum totius libelli constituendum esse.

## C

## Iam

- 42. Vid. 34. 1 — 6.
- 43. Vid. 30. 7. f. 38, 1 — 4.
- 44. Vid. 37, 4.
- 45. Vid. 30. 7. f.
- 46. Vid. 38, 1 — 4.
- 47. Vid. 37, 4.
- 48. Cap. 38.



Iam quanquam ex omni posteriorum duarum orationum  
indole, earumque nexu arctissimo, aliter de consilio auctoris  
non videtur statuendum: tamen etiam video, nonnulla sententiae  
meae opponi posse. Ea autem partim leuissima esse videntur, &  
vix refutatione digna, partim eius generis, ut consilium illud Pla-  
tonis, si recte cogitetur, nihilominus sumi possit. Sic leuissimum  
illud est, quod e verbis Socratis, post Alcibiadis orationem exhibitis,  
erui possit. 49.) Nimurum postquam Alcibiades Agathonem in  
fine orationis hortatus erat, ut ne se decipi a Socrate fineret: hic  
ita interpretatur omnis orationis illius consilium, ut dicat, eum  
tantum voluisse Agathonem a se abstrahere atque abalienare. Sed  
haec meae sententiae non repugnare, facile patet, quum iocose  
dicantur; & intelligitur etiam simul, verum orationis consilium  
ne potuisse quidem a Socrate indicari. Deinde, quum laudes  
Amoris maximam libelli partem occupent, fortasse erunt, qui di-  
cant, vel propterea non probabile esse, Platonem totum hunc li-  
bellum eo potissimum consilio scriptisse, ut honestas amoris Socr.  
& Alc. intelligeretur. — Haec quidem vim habere possunt tum,  
quum sermo est de consilio scriptoris, qui aperte & sine dissimu-  
latione agit. Haec autem de Platone, ratione Symposii, vix dici  
possunt. Nam quanquam firmissime mihi persuasum est, senten-  
tiam de Symposii proposito supra latam veram esse, tamen clarissi-  
me etiam cerno, auctorem occultare voluisse consilium, adeo ut  
quidem defensor Socratis esse, sed non videri voluerit. Plato enim  
non solum non indicauit consilium, sed etiam de industria & solerter  
texit, ut ea, quae honestatem amoris Socratis declararent, forte  
tantum, nec certo consilio dicta esse viderentur. Quae quidem,  
Symposio ipso praeeunte, facile intelliguntur. Coena enim sub-  
lata non Socrates, ad quem tamen omnis res vnice spectabat,


argu-

49. Vid. 38, 1.

argumentum sermonum proposuisse dicitur, sed Eryximachus, ad quem res minime pertinebat, & ne hic quidem erat auctor, sed Phaedrum, alium conuiuam, sequebatur, qui saepe questus dicitur esse de eo, quod homines hucusque ingratissimum erga Amorem prodidissent animum & neque hymnis eum, neque orationibus celebrassent. 50.) Ergo non tantum iis tribuitur argumenti propositio, quorum plane non intererat proponere, sed etiam ita proponitur, ut casu potius ortum, quam dedita opera leclum esse videatur. Iam si quis, his ponderatis, voluntatem Platonis, teggendi consilium, intellexerit, videbit quoque, quomodo fieri potuerit, ut prior de Amore pars, quamuis tantum ut isagoge in ultimam breuiorem libelli partem cogitanda sit, tamen posteriore multo sit maior. — Similiter non solum tempus, quo Alcibiades aduenit, sed etiam ordo, quem sequitur in oratione, consilium Platonis magis obscurat, quam declarat. Postquam enim Alcibiadi ab Eryximacho, qui ad laudandum Amorem caeteros excitaerat, dictum est, operam reliquorum conuiuarum in celebrandis Amoris laudibus versatam esse: simpliciter dicit, se Socratem laudare velle, ita, ut in vniuersum virtutes eius commemoret. 51.) Quod ut reuera facit, ita ne ab amore quidem orditur, sed alia praemittit, ut vel sic consilium magis tegatur. Quae quidem omnia, & alia etiam, satis loquuntur, Platonem occultare voluisse libelli propositum. Sed ut summa ars Platonis exinde apparet, quod consilium, cuius vestigia non leuiter pressa aliis in locis inueniuntur, aequre scite etiam alibi dissimulauit, ita etiam occultato Platonis consilio sumto, opinio eorum, qui propositum Symposium ex maiori eius parte colligere velint, vix vim habere potest, — Si autem quaeratur, quae dissimulationis auctori fuerit caufsa,

50. Vid. 5, 2. f.

51. Vid. 31, 5.



in promptu est, eam in ipsa criminationis natura quaerehdam esse. Quum enim crimen istud eiusmodi esset, vt defensio aperta vel iplius Socratis verecundiam offendere posset: non mirandum est, nec Platonem, nec vllum alium Socraticorum aperte versari voluisse in defendendo Socrate. Sed quum tamen crimine isto probitati Socratis macula adspergi posset, defensio quidem suscipienda, occulta tamen & tecta vtendum videbatur. Sic non tantum Platoni agendi ratio, sed etiam Xenophontis, qui idem non aperte illa de re loquitur, suam accipit lucem. —

Veniendum nunc est ad id, cuius caussa superiora scripta sunt. Quum nimirum in Lyceo nostro examen habendum sit, nunc Patronos Fautoresque omnes inuito humanissime, rogoque maiorem in modum, vt frequentes benevolique adsint. Quam benevolentiam si declarauerint praesentia sua, non facile erit tempus, quo memoria illius in animis & collegarum & discipulorum moriatur & intereat.

Scripsi Gubense, mense Septembri, CICDCCXCVII.

---

